

90
JACOBVS THEUPOLVS

D V X XLIII.

Electus Anno 1228. obiit Anno 1249.

EPIGRAPHES PRISCA.

Armis recupero Iaderam, legesque reformo.

XXXXIII



Ari merito, parique urnà cum Principatum prænfa-
rent Iacobus Theupolus, & Rainerius Dandulus;
datum Fortunæ arbitrium, quæ meritis omen addi-
dit, Iacobi Theupoli. Genio iste ferox, consilio pru-
dens, manu validus ex Crete Ducatu, Dux totius Rei-
publicæ assumptus, Cretenses qui altera manu ferebant lapides,
panem alterà ostentabat; par pari referens, gladio exarmavit, astu
decepit. Audita obsidione Byzantii à *Ioanne Vatazio* Lesbi Princi-
pe, qui cum Ponti Rege Imperium dividere pactus erat, viginti
quinque triremium adornata Classe, ducibus *Leonardo Quirino*, &
Marco Gussone vix Hellespontum venit, quod in illius faucibus ho-
stem offendens, pugna inita cruenta locum tenuit, & victoriam

Acce-